



**Jacobi Alvarez de Paz Opera**

De Exterminatione Mali, Et Promotioне boni - Libri quinque

**Álvarez de Paz, Jacobo**

**Lvgdvni, 1613**

Mortificatione virtutes acquiri. Cap. 10.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77843](#)

Epheſ. 6.  
13.

Anſel. lib.

Pſal. 17.  
40.Pſal. 121.  
7.Pſal. 26.  
10.Ricard. ad  
eundem  
Pſal.

motus aduersus Dei legem insurgentes, & fugatis, ac prostratis hostibus, latus & pacatus existet. Quod profecto non sicut Paulus, dicens: Accipite armatam Dei, ut possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare. ] Non dico, autem, ut arma carnis, sed arma spiritus assumatis, ea vero sunt ieiunia, abstinentia, mundi contemptio, & ea, quae molesta sunt carni, quibus Deus apparet in carne aduersus diabolum processit armatus. His armis in die malo, id est, in die tentationis, ut exponit Anselmus, temptationibus insurgentibus resistetis. Inde autem quid sequetur? Certè, ut in omnibus virtutibus perfecti stetis; Id est, ut cunctarum virtutum perfectione datur iam ea pace fruamini, quam, si non omne bellum dederit, at infirma bella, quae facili negotio vincentur, & cum pusilla molestia turbent.

Quia ergo omnis victoria nostra, qua à temptationibus liberamur, & mentis tranquillitatem consequimur, ex abnegatione dependet, ideo in scriptis sanctis primum nobis virtus ad pugnandum, robur ad vincendum nos ipsos, & postea pax mentis, tranquillitasque promittitur. Vnde sanctus David:

Præcinxisti me virtute ad bellum, & supplantasti insurgentes in me subitus me. Et inimicos meos dedisti mihi dorsum, & odientes me disperdidisti. ] Sine virtute enim ad bellum, quo affectiones nostras vincamus, nunquam hostes nostros his affectionibus pro armis vententes, supplantabimus, neque eos à nobis viatos repellamus. Et iterum: Fiat pax in virtute tua, & abundanta in turribus, ac propaginaculis Ecclesiæ, hoc est, in iustis hominibus ex virtute proueniat; quia nisi præcedat virtus ad pugnandum, & ad domandos iustitiae hostes, nunquam pax optata succedit. Atque alibi: Dominus virtute in populo suo dabit: Dominus benedixit populo suo in pace. ] Optimus ordo, & generaliter in diuina prouidentia seruatus. Primum dat virtutem extimam & excelsam, quæ potens sit hostes proteruos & implacabiles sternere, & post illam non quasi in sudario custoditam, sed multis, & assidue operibus abnegationis applicatam, tandem pacis nos benedictione multiplicat. Vide, inquit Ricardus Victorinus, & attendite diuina donacionis ordinem. Datus populo suo Dominus virtutem, & pacem, prius dat virtutem, & postea pacem. Habet namque aduersarios innumeros populus iste Dei; & quod adhuc grauius est, inimici corum fortissimi: Opus ergo habent virtute & fortitudine magna, contra quos iugi sollicitudine vigilat tot aduersariorum tam periniqua confitans. Vultis autem audire qualem, & quantam virtutem eis eorum dux promittat; ita tamen si eius præcepta manda tare que custodian? Persequemini, inquit, inimicos vestros, & corruent coram vobis. Persequentur quinque de vobis centum alienos, & centum de vobis decem millia. Cadent inimici in conspectu vestro, gladio. Parum est hoc, audi adhuc aliquid maius de huius regis militibus, quorum unus persequitur mille, & duo fugant decem millia. ] Hæc ille. Optima quidem obleratio, & nobis perutilis, ut nunquam pacem adipisci sine virtute queramus. Sine ea, inquam, virtute, quæ domesticos hostes, carnem, & sensus ad malum pronus, & affectus inordinatos subiiciamus. Dum enim hos vincimus, dæmones quoque externos aduersarios prosterminus, qui nihil in nos possunt, nisi aliquis domesticus hostis illis faueat, & sua importunitate, aut dolo illis ianuam nostri consensus aperiatur. Velle autem sine virtute animæ pacem, & sine mortificatione victoriam, est, ac si quis miles

A velit fortissimos hostes dormiendo perire, aut illis arma & alimenta ministrando, de ipsis victoriā comparare. Quod fieri non posse illa veiba Augustini declarant: Non est pax, ubi non est subiectio repugnantium. ] Qui autem non subiicit hostes repugnantib; sed subditur illis, velut seruus, & fons illos, ut acris iufugant, & pertinaciū rebellent, quomodo pacem consequeretur? Pateris, ô frater, tentationes carnis, & corpus tuum non abstinentia domas, sed cibis ingurgitas; non cilio & verberibus crucias, sed mollibus indumentis circumdas; non oculos ab alieno pulchritudinis aspectu tollis, sed eos per quæque pulchra, & illicientia vagari permitis: quanam ratione pacem inuenies? Superbia, & ambitionis impugnatione tentaris, & nunquam in animum inducis, ut plausus hominum fugias, ut in ministerio humili te contineas, ut defectus naturales coram fratribus, mortificationis causa, aliquando manifestes, ingenium vero, & eloquentiam, cateraque doles ad breue tempus abscondas, quoniam modo pacem aſſequeris: Quare igitur prius virtutem, ut contingat tibi pax: abnega teipsum, ut mentis tranquillitatem, & victoriam temptationis accipias. Quia nemo sine pugna vicit, sine bello ad pacem peruenit, & sine subiectione, aut morte hostium suorum victoriam unquam reportauit.

B Ang. lib.  
de ciuit.  
Det.

C Mortificatione virtutes acquireti.

## C A P V T X.

**N**unc, quanti momenti sit mortificatione ad vniuerſas virtutes acquirendas, explicandum est, quarum acquisitione multo magis, quam aliqui fortasse putant, ab hoc abnegationis studio dependet. Nam si ipſi existimat, mortificationem esse instrumentum unum ex multis ad aſſequendas virtutes, nos putamus instrumentum esse precipuum, sine quo reliqua huic negotio adhibita nihil omnino posse efficere, nec minimum virtutis alicuius gradum generare. Id autem manifeste conſtat ex ipſa natura virtutum, quarum aliquæ ad efferendam naturam nostram datae sunt, ad eas supernaturales actiones, quas solo adiumento naturali praestare non potest: alia vero ad ipsam naturam humanam in mortalibus actionibus dirigendam, omnemque earum prauitatem allegandam. Primi generis sunt virtutes Theologicae, & alia supernaturales infuse, quarum munus est, mentem suauiter ad actiones naturam excedentes erigere. Secundi vero generis sunt virtutes morales, quarum est vires nostras ita perficere, ut sine difficultate bonum opus faciant, neque ab aquo & iusto deflestant. Et si bene inspiciamus, omnis virtus, quæcumque illa sit, naturam prauis actionibus & imperfectis spoliat, & ad aliquid altum, excelsumque sustollit: cum semper ipſa bonum & perfectum petat, quod nobis comparatum, superioris, & altius esse cognoscitur. Omnis ergo virtutis actio aut malum, & imperfectum reſicit, aut bonum naturæ nostræ corruptæ difficile exercet. Cum autem virtus illis actionibus acquitatur, quibus ipſa conseruatur, & crescit, & ad quas animum studiosum inclinat, relinquitur acquisitionem cuiuscumque virtutis in his duabus actionib; generibus, scilicet in mali nobis deletabilis fuga & reiectione, & in boni nobis difficilis exequitione cōſistere. Loquamur

verò nunc de virtutibus acquisitis, nam infusæ non actibus nostris generantur, sed Dei infusione producuntur, & augentur: qui tamen in adultis similes actiones, quibus malum fugiant, & bonum exercant, vt dispositions infusionis faciendæ, vel ut merita augmenti concedendi requirit. Quis autem non videat tam mali delectabilis fugam, quam boni difficilis amplexum ad mortificationem perire? Mortificatio enim est (vt exemplo virtutis abstinentiae hoc explicemus) cibos suaves & vina pretiosa, sustentationi naturæ minimè necessaria respovere, consuetam refectionis horam expectare, appetitum in ipsa confectione frangere, hominem non se super cibum & potum effundere, & festinationem edendi & bibendi, & alias innumeras imperfectiones nostras cohibere. Mortificatio etiam est, alimenta vilia & insueta percipere, quæ appetitum non excitant, sed naturam sustentant: debitam semper mensuram in esculentorum admissione tenere, aliqua etiam necessaria pro assequenda maiori agilitate ad actiones contemplationis, & omnis virtutis, demere. Cum igitur sine his impossibile sit abstinere, manifestum est, impossibile esse sine mortificationis actibus abstinentiam comparare. Et cum eadem sit (vt diximus) omnium virtutum ratio, quod quisque potest per seipsum faciliter discursu colligere, certissimum est, eas omnes ab actibus mortificationis pendere, nec sine mortificatione quemquam virtutis possessorum existere.

Iam qui putat se sine assidua mortificatione posse virtutes acquirere, & mentem suam his preciosis gemmis ornare, sciat, quia manifestè errat: sciat, quia oleum & operam perdit, sciat, quia nuncquam se studiosum, & tanti boni possessorum inueniet. Apud Iob enim de sapientia scriptum est, qua Dei cognitionem omni virtuti coniunctam significari dicimus: Nec homo pretium eius, nec inuenitur in terra suauiter viuentum. ] Hominibus nostro huius sapientiae denegatur, illis videlicet, qui tantum homines sunt, qui terrena sapientia, qui nihil sublime, nihil supra id, quod videtur oculis, & percipitur sensibus, astimant. Nec inuenitur apud eos, qui suauiter viuunt, qui nimis suis desideriis parent, rerum suorum appetitionibus delerantur, & in nullo fibram etiis contradicunt. Hanc sapientiam timoris Dei, inquit Hieronymus, non habet quispiam, nisi carnem suam crucifixum cum virtute & concupiscentia, nisi vixerit ut Paulus Apostolus, & omnes sancti in tribulationibus, persecutionibus, angustiis, & pressuris. Et ideo suauiter sunt dicti viuere illi, qui nullo iugo disciplinae tenentur, & effrænes, ac precipites in labem prorumpunt viatorum. ] Ab his abscondit se virtutis sapientia, quæ mundissima est, atque adeò non potest amare eos, qui non se ab omni immundicia diuellunt: & quietissima, quare fugit ab illis, qui semper diuersis affectibus inquietum animum gerstant. Hæc sapientia, quam nunc à vera virtute non discernimus, via est viri iusti rectissima, in qua sine fortitudine ad vincendum seipsum, stare non poterit. Ideoque sanctus Iob virtuti robur adixit, dicens: Et tenebit iustus viam suam, & mundis manibus addet fortitudinem. ] Via iusti, & mundæ manus iusti idem omnino, id est, iustum virtutes, actionesque ex virtutibus procedentes significant. Atque ideo ut iustus teneat viam suam, id est, ut virtuti, quam professus est, firmiter adhaerat, & ut à mundicia suarum manuum non discedat, necesse est, ut virtuti fortitudinem

A addat, qua omnes difficultates virtuti aduersantes superer, qua delectabilia mundi respuat, & qua se suopte appetitu in illicita ruentem, in bono & æquo contineat. Immo & multiplex virtus, multiplex via Domini est, quam ut nos ipse Dominus doceat, omnem vitiorum prauitatem, & affectionum obliquitatem vult à nobis ablegari. De qua multiplici via Ieremia ait: Eterunt prava in directa, & alpera in vias planas. ] Prava, & alpera secundum Origenem virtus; & directa, ac vias planæ, virtutes dignant. Quæ indicatum est, debere nos vniuersas vias vios, affectiones abnegare, ut vias directas, ac planas Domini, id est, ut virtutes teneamus. Iustitia enim deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. ] Ut Dominus regnum Dei viro iusto per assequitionem perfectionis ostendat, qua solet aliquem gustum coelestis consolationis impetrare, primum deducit illum per vias rectas, id est, per vniuersarum virtutum semitas: quomodo vero ambulabit homo per vias rectas, nisi prius ipse à viis viotorum praus obliquisque discedat? Et quomodo ab huiusmodi viis, quibus est assuetus, & in quibus inuenit delectationem, discedet, nisi seipsum abnegare, & à lacte seculi ablactare decernat? Certè via ista Domini, ut inquit Bernardus, via recta, via pulchra, via plena, via plana. Recta sine errore, quia ducat ad vitam. Pulchra sine forde, quia docent mundiciam. Plena multitudine, quia iam totus mundus est intra Christi saginam. Planæ sine difficultate, quia donant suavitatem. ] Ut igitur ambulemus per vias rectas, oportet nostrorum desideriorum obliquitatem deferre, ut incedamus per vias pulchras, oportet ab immundicia affectionum fugere: ut teneamus vias plenas spiritualium nempe virorum, qui per eas ambulant, necesse est, vacuitatem ac vanitatem mundi desplicere: ut denique ingrediamur vias planas, necessarium est à viis voluntatum nostrarum, scilicet complanatis, separati. Qui autem non videt hæc omnia sola mortificatione fieri, adhuc vias virtutis, & spiritualis conuersationis ignorat.

Oportet ergo, ut virtutes assequamur, & fructus bonarum actionum feramus, abnegatione eorum, quæ nos delectant, infistere. Virtus enim, ut Thomas Aquinas docet, prærequisit passiones sedatas, & ex consequenti sensus moderatos, sine quorum moderatione passiones tranquillitatem non habebunt. Omnis autem sensuum moderationis, passionumque sedatio, mortificatione inchoatur, mortificatione progreditur, eadēque perficitur. Quare qui assidua mortificationis obliuiscitur, neque in infinito gradu virtutes acquiret. Certè sicut vita naturaliter palmitibus huc illucque distenditur, & pampinis se diffundit, adeò ut necesse sit eos amputare, si agricola ex vite fructum experiet: ita natura nostra post Adæ peccatum in id præcipue incumbit, ut cogitationibus, ac desideriis, velut farmentis, se in teis visibilis, & terrenas effundat; quæ falso mortificationis refecanda sunt, si homo cupiat suaves botros, id est, dulcissimos virtutum actus emittere. Nam in vite paupertas palmitum, est abundantia fructuum, quia à palmitibus ferendis prohibita, non iam per inutiles pampinos, sed per utiles fructus, suamque prorumpit: ita & in anima paupertas affectionum, quam mortificatione efficit, est abundantia virtutum, quia conatus, qui operibus carnis denegatur, actionibus iustitia conceditur. Vnde merito Christus de patre loquens, ait: Omnem palmitum in me

*1sa. 40.4.  
Orig. hō.  
2.1. in c.  
1. Luce.*

*Sap. 10.  
10.*

*Bern. ser.  
in eudem  
locum sapienzia.*

*D.Thom.  
1.2. §9.  
ar. 2.*

*Iean. 15.  
2.*

*Iob 28.  
13.*

*Hiero. ad  
eundem  
locum.*

*Iob 17. 9.*

non

*August.  
tra. 8. 80.  
in Ioan.*

*Ia. 5. 6.*

*Iob 41.  
16.*

*Iob 39.  
26.*

*Greg. 31.  
mor. c. 18.*

*Celoff. 3.*

*Ephes. 4.*

non ferentem fructum, tollet eum: & omnem, qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat.] Quinam sunt palmites, qui fructum non ferunt? Pecatores, qui sola fide mortua contenti bona opera praestare non curant. Et qui sunt palmites, qui fructum ferunt? Iusti; qui bonis operibus fidei respondent. Hi à patre purgantur, ut abundantiorum fructum afferant, cum auxiliis gratiae roborantur, ut affectiones terrenas deponant, & se à rebus mundanis abstineant. Mundi quidem sunt, sed ut crescent fructibus, adhuc sunt amplius abnegatione mundandi. Neque enim, nisi mundi essent, ut ait Augustinus, fructum ferre potuerint, & nisi amplius mundarentur, ad perfectionem fructus venirent. Quare mundi mundos, hoc est, fructuosos, ut tanto sint fructuosiores, quanto mundiores. Qui autem non putantur, atque purgantur, paulatim steriles fiunt. Ideoquæ dictum est de vinea Domini Sabaoth: Non putabatur, & non fodiebat, & ascendit vespes & spinae.] Ita sane contingit, ut qui seipso mortificatione non purgant, neque humilitate deiiciunt, expectati ut faciant vias, faciant labruscas, & pro virtutum actionibus, quas ferre debuerant, spinis, & tribulis ineptorum sermonum, & malorum operum accidentes compungant. Qui ergo volunt ab his malis eripi, & diaboli potestate fugere, cuius est vitola opera suadere, ab assida sui abnegatione non fugiant. Quod studium esse iustorum docet Dominus in Iob, dicens: Cùm sublatis fuerit, subintellige, diabolus, timebunt Angeli, & terribili purgabuntur. Cùm, inquam, aduersarius se exercerit, & aduersus viros iustos pugnare constituerit, tum illi, qui imitatione sunt Angeli, cauto timore, & abnegatione se protegent, & à prauis actionibus se defendent.

Abnegatio itaque necessaria est, ut distorri mores deficiant, virtutemque succrescant. Neque potest aliquis pretiosis virtutum indumentis ornari, nisi prius per abnegationem viles, & foetidos vitorum pannos abiiciat. Sicut enim accipiter veteres plumas depositit, ut nouis & pulchritibus vestiatur; ita iustus, qui nititur volatu in celum ascendere, & ipsum Verbum Patris, carne velutini imitationis vnguis apprehendere, necesse habet antiquas vitorum pennas exuere, ut nouis, scilicet virtutibus, exornetur. Nunquid, ait Dominus ad Iob, per sapientiam tuam plumescit accipiter, expandens alas suas ad austrum?] Ac si dicat, non tuum, sed meum opus est, quod accipiter ad calorem Austris, alas expandat, ut huius venti tempore membra sua ad laxandas plumas veteres, & nouas induendas concalefacit. Sic prospicere opus gratia mea est, quam ego volentibus offero, quod iustus Spiritus sancti calore conceptio virtuosus actus mortificatione exuat, ut bonorum operum exercitatione virtutes induat. Quid est accipitrem in Austro plumescere, inquit Gregorius, nisi quod unusquisque sanctorum tactus flatu sancti Spiritus concalat, & vultus verusta conuersationis abiiciens, noui hominis formam sumit? Quod Paulus admonet dicens: Expoliante vos vetrem hominem cum actibus suis, & induentes novum.] Et rufum: Licet is, qui foris est, noster homo corruptatur; tamen is, qui intus est, renouatur de die in diem. ] Veritas autem pennam proiecere, est inueterata studia dolosa actionis amittere: & nouam pennam sumere, est mitem, ac simplicem bene vivendo sensum tenere. ] Hæc ille. Sicut autem fieri non potest, ut avicula nouas plumas induat, nisi veteres exuat: ita impossibile est,

*A* vt quis non abiecit actuum vitiosorum vestibus, bonorum habituum, id est, virtutum indumentis decoretur. Illos autem vitiosos actus solum studium abnegationis depellit: quia nemo potest quod placet, abiicare, & quod delectat, relinquare, nisi sibi ipsi contradicens, flagello mortificationis vtratur. A nobis igitur mortificationis gladio imperfectiones, & superflua desideria precidiamus, ut celestibus desideriis ad omnem virtutem incitemur. Nam hæc desideria robur ad prosequendam mortificationem adiicient, & studiorum actionum erunt initia, quibus virtus ipsa generatur, & semel genita conferatur, & crebit. Saliamus nos, ne spiritus sine mortificationis sale putrefaciat. Immò & taliamus nos, ut spiritus acerbitate seposita, & suavitate virtutum comparata, cibus Domino acceptus fiat. Quemadmodum enim olea per se sumptuose sunt, quas nemo vel ori admovere sustinebit, at falsigine conditæ tam grauem saporem accipiunt, ut finiant non tantum communes pauperum mensas, sed etiam lauta regum & pretiosa coniuia; & ita humanus spiritus vitiis affectus insuauissimus est, quem mensa Domini non sine indignatione repellat, at mortificationis sale conditus, & virtutibus preparatus tantam suavitatem comparat, ut dignus sit mensa Domini presentari. Iure igitur hoc mortificationis sal omnino necessarium vita spirituali putamus, quod nos à malis preferuat, adeo ut possit inter ea numerari, siue quibus nequaquam hæc vita subsistit. Dicimusque illud Ecclesiastici sub corice medullam spiritus insipientes: Initium, id est, summa necessaria rei vita hominum, aqua, ignis, & ferrum, sal, lac, & panis similagineus, & mel, & botrus viae, & oleum, & vestimentum. ] Nam ad vitam spiritalem agendum necessaria est aqua compunctionis, qua lauemur: ignis Spiritus sancti, quo accendamur: ferrum tribulationis, quo domemur; sal mortificationis, quo à putredine seruemur: lac puritatis, quo exornemur: panis virtutum, quo sustentemur; mel consolationis, quo roboremus: botrus zeli, quo bona adepta custodiamus; oleum charitatis, quo emolliamur; & vestimentum gratiae, quo operiamur.

*D* Nec satis est ad virtutes acquirendas, eam mortificationem excolare, qua mala, & virtuti contraria deserimus, nisi eam, quæ bonis etiam actionibus, licet difficultioribus insilit, amplectamur. Nam aliqui sunt, qui iam à malis abstinent, ut volunt semper humi repere, in infimo loco facere, & nunquam ad ascendendum, & aliquid magnum molliendum animari. Hi nunquam erunt virtute sublimes, nisi hanc suam pusillanimitatem abnegent, & seipso ad ascendendum, & magnas virtutum actiones exercendas impellant. Magnificum enim opus sine magnis sumptibus fieri non potest, & nemo sine magno labore ardua petet, & nunquam sine magna difficultate, & eximio conatu thefaurum alio effusum diuitiarum cupidus possidebit. Nihil vero magnificentius est, nihil difficultius, nihil diutius & occultius virtute perfecta, quam profecto siue ingenti labore & conatu mentis, & sine magnis sumptibus, quibus homo vniuersa terrena, saltem quoad affectum deserat, nunquam acquirat. Necessarium est ergo, si ad eam peruenire cupit, ut amorem tepidas quietis abneget, & mente, si non in luto haerentem, at in ordinaria quadam vita conuersatione iacentem, maioris laboris impositione mortificet. Omnis ascensus, inquit Gregorius, in labore est, descensus in voluptate, quia per adniatum

*Ecclesi. 39.  
31.*

*Greg. lib.  
7. mor. c.  
10.*

gesius ad superiora tenditur, per remissionem vero ad inferiora declinatur. Ad montis enim verticem sumum subeheret, magni laboris est, idemque a summis ad ima dimittere labor non est: sine mora videlicet proruit, qui magnis conatibus ad summa peruenit.] Si ergo nos non quidem usque ad infinitum montis, sed ad culmen usque virtutis ascenderemus, nescire est, ut plusquam ordinari laboremus. Qui sane labor magnam naturæ violentiam inferendam habet, & fatis difficilem mortificationem inuoluit. Cupis esse verè humilis: iam omnes occasions honoris, & gloria mundanæ tibi deserenda sunt, yilia quæque & abiecta ministeria libertissimè admittenda, quæ te apud homines gloriosum, & nominatum facere posse sunt, abscondenda: in rebus minus recte factis, quæ tibi imputantur, silendum: sinistram opinionem de te conceptam, & tibi falso impositam, ineptitudinis famam ad munus aliquius momenti subeundum, tolerandam. Alij te verbis minus veris ex albo reuident, vt se ingenerant; tuos labores taxabunt, vt suos exalent, quia sine tui iniuria, & vilipendio se magnos esse posse non iudicant, & tibi in his occasionibus, & mille similibus tacendum est, nisi euidentis Dei gloria ad modicè loquendum obliget, si velis ad mediocrem saltem humilitatem, & mundi contemptum peruenire. Ettu hæc, & alia multa difficultia, quæ similiiter in aliis virtutibus exercendis occurserunt, sine mortificatione præstabis: Et tu hæc aquaminiter sine abnegatione sustinebis? Ergo sine mortificationis studio non est possibile virtutes acquirere, nec ad aliquem saltem mediocrem earum gradum peruenire. Quare supereft, vt vel sine vera virtute maneat, atque in sterquilino tepiditas iaceat, vel ut vehementer cuidam studio mortificationis insista.

*Isa 9.5.*

Nam omnis violenta prædatio cum tumultu, & vestimentum mistum sanguine erit in combustionem, & cibus ignis.] Non quidem poteris te ipsum vestibus veteris Adæ, nisi violenter exire; non poteris sine proprii sanguinis effusione, id est, sine eorum, quæ diligis abiectione, à te pristinos mores euellere, immo oportet laborare, & tibimetipsi violentiam inferre, vt pannos hos viles destruas, & igne charatis absumas. Ex quorum certè combinatione avis vñica, virtus emergit, & suo aduentu humani cordis regionem latrificat. Phoenix enim (vt fertur) membra fessa, & senio confecta igne concremat, vt ex cineribus renascatur, & iuuenis ac pulcher assurgat. Sic iustus debet antiqua membra, quæ sunt super terram, id est, affectus inmoderatos, & omnem pusillanimitatem, & amorem noxiæ quietis aduerte, vt valeat vitam nouam, & Christo similem accipere, ac virtutibus, tanquam nouis & pulcherrimis pennis, decorari.

### Mortificatione donum orationis impetrari.

#### CAP V T XI.

**R**ATIONIS, ac contemplationis donum certui virtutum adiungitur; quamobrem si mortificatio necessaria est ad omnes virtutes acquireendas, ex eodem fonte nascitur, eam ad orationis donum comparandum necessariam existere. Sed aliquid habet oratio, ratione cuius mortificationi indissolubilius adiungitur, & multo magis, quam virtutes reliqua, ab eius assiduo studio dependet. Quod ita esse

A confitnabimus, si interrogeremus, quare non tantum in statibus familiaribus Ecclesiae Dei, sed etiam in statu Ecclesiastico, & in congregatiobibus religiosis inueniuntur multi viri boni, qui recte vivant, qui sine graui peccato conuerterunt, quia abstinentias, & corporis asperites, & opera misericordia, & actiones virtutum moralium se applicent; è contra vero inueniantur paucissimi, qui donum orationis habeant, qui cum Deo non iam verbis solis, sed in spiritu & veritate, conuersentur, & lucem contemplationis obtineant. An Deus noster seuerus, & imperiosus est, qui velit ut homines sibi famulentur, non vero ut eius alloquim experant, neque ad ipsius conuersationem accedant? Non. Quia de Sapientia Patris, ac Dei filio scriptum est: Et delicia mea esse cum filiis hominum: ] neque horribit eos, quorum naturam induit, quorum fratrem, dum ac magistrum se fecit, quorum coniunctum, & conuersationem ad suas delicias requisuit. Idem autem de Patre, & Spiritu sancto sentire par est. Nam ipse Filius dixit: Qui videt me, videt & patrem; ] vt se habere cum Patre non tantum eandem natum, verum & eandem voluntatem, ostenderet. Ecum Trinitas Deus unius sit naturæ, arque substantia, eiusdemque voluntatis, quod Filius pro deliciis habet, scilicet cum hominibus conuerteri, Patrem quoque, & Spiritus sanctus suas delicias computabit. An paucissimorum virorum spiritualium causa est, quod homines ad omnipotentem Deum appropinquare, & tantam maiestatem interpellare non audent? Non. Quoniam iam euauit tempus illud, in quo homines perterriti, ac pauore concussi stabant procul, & dicebant Moy: Loquere tu nobis, & audiemus: non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur.] Immò nunc instat tempus, in quo quisque filius Ecclesiae audit dicentem Sponsum: Sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis, & facies tua decora.] Et multi sunt, qui donum orationis vehementer exorant, nec obtinent; qui dum conantur ascendere, turbantur; qui pullant, & non aperiunt eis; qui possunt dicere illud Ezechiel: Dum adhuc odire, succidit me. ] An tandem huius rei cauta est, quod Domini conuersatio amara, & insulsa homines ad eam aspirantes exterret, & sua insuauitate eos iam accedentes repellit? Nullo modo. Non enim habet amaritudinem conuersatio illius, nec tam coniunctus illius, sed latitiam & gaudium.] Cuius manifestum signum est, quod ad aliquam mediocritatem orationis admissi ita solent res humanas relinqueret, & in assiduum Domini communicationem incumberet, vt vix charitate, proximorum necessitate poscente, valeant à dulcissimo Sponsi amplexu separati.

Huius ergo paucitatis virorum spiritualium, & qui donum orationis habeant, nulla alia causa affligunt potest, nisi quod oratio ac contemplatio, magnum, & indefissum studium mortificationis præexistit; & quia paucissimi sunt, qui seipso fortiter abnegent, & perfectè mortificant, ideo rati inueniuntur, qui in cellam vinatiam admittantur, & vñum illud diuinæ communicationis, quod non ad stultitiam, sed ad sapientiam inebriat, si non ad satietatem, saltem ad nonnullam sufficientiam eibant. Oratio enim (quo nomine, toro hoc capite contemplationem, & omnem cum Deo communicationem intelligo) est virtus castissima, (vt eam vocat Dionylius Arcopagita) & quæ requirit purgatissimas, & tranquillissimas mentes; quare absente ab aliquo mentis tranquilitate

*Prov. 8.*  
31.

*Ioan. 14.*  
10.

*Exodi*  
20.18.

*Cant. 2.*  
14.

*1/2. 38.*  
12.

*Sapient. 8.*  
16.

*Dyon. lib.*  
*de diuina*  
*nominis c. 3.*